



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliarvm Omnium Generalium Et Provincialium Collectio Regia

Ab anno CCCXLVII. ad annum CCCCII.

Parisiis, 1644

X. De eadem re.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15256

cedantur, & iudices a se electi tribuantur, vt in loco vnde est ille qui accusatur, aut si alibi alicuius temerariæ multitudinis vim metuerit, locum sibi congruum eligat, quo absque timore suos, si necessitas exposcerit, testes habere, & absque impedimento suam canonicè sententiam finire valeat, quia multa per subreptionem euenire solent.

IX.

Vt testificandi, vel accusandi licentia denegetur his qui Christianæ religionis & nominis dignitatem, & suæ legis vel sui propositi normam, aut regulariter prohibita, neglexerint.

X.

Multum derogatio præualet, quando derogatori creditur. Ideo variis detrectationibus atque accusationibus non decet labefactari primatem, sed magis patrum regulis roborari. Nec facile aut indifferenter suscipere accusationes præsumat, dicente Domino: *Non suscipias* Exod. 24. *vocem mendacii*: sed prius probare debet suspicionem & causam, aut quo animo hoc faciat, & postmodum suscipere: quia veritatis professionem, propinquitatis, inimicitia, timoris, amoris, odii & cupiditatis intentio impedire, & aduersâ fratribus irrogare solet.

XI.

Personæ accusantium tales esse debent, quarum fides & conuersatio & vita probabilis & absque reprehensione sit, & quæ omni careant suspitione: quia & hoc, te præsentem, vt bene nosti, in Nicæna Synodo, propter maiorum hominum infestationem, ab omnibus diffinitum est, licet prauorum hominum insidiis sint hæc & alia quam plura deleta.

Hic nota
quædam de
decre. in
Nicæna Synodo
deleta.

XII.

Primates illi, & non alii sint, quam in Nicæna Synodo sunt constituti. Reliqui vero, qui metropoles tenent sedes, archiepiscopi vocantur, & non primates, salua in omnibus apostolicæ sedis dignitate, quæ ei ab ipso Domino est concessa, & postea a sanctis patribus roborata.

XIII.

Primo semper in omni episcoporum accusatione, vita, persona & conuersatio accusantium enucleatim in-